

Bibliothèque numérique

medic @

**Cadet, Claude-Antoine - candidat /
Bassuel, Pierre - président. - [De
narium polypo]**

1752.

**Paris : Typis FR. Delaguette
Chirurgorum Collegii
Typographi
Cote : ms 2342, n°18**




D. O. M.
 POSITIONES ANATOMICÆ
 ET
 CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.



EXCRESCENTIA carnis speciem referens ;
 haud rarò intrà nasi mæandros gignitur ; nascens
 vultû quasi benigno , crescens ancipiti more , ver-
 sùs summum extensionis gradum progrediens in-
 dole malignâ plerumque donatur : ita ut ista pri-
 mum tractatû difficilis , dein pervicax , tandem
 periculum minitans. Heu ! quæ in naribus Polypi
 nomine venit a voce græca Πόλυπος , quoquo versùm infelicitas !

PRO naturâ affectûs , accidentibus , prognosi , curatione aptè
 dignoscendis , rem Anatomicam huic morbo pertinentem , respon-



tionibus tamen satis fusè enucleandam, leviter indicando attingemus.

SITUS, forma, partes Nasi externi satis innotescunt, id circò his describendis supersedemus, ad Narium internarum peculiarìa simul & utiliora festinantes.

NASUS dicitur externus & internus; hic Narium nomen interdum recipit: ille cavitatis amplioris tanquam appendix conspicitur: attamen patulæ Nasi expansi apertura, intus vibrissis instructæ, æquivocâ nec non usui accommodâ denominatione Narium insigniuntur. Quod cum strictè non ita sit juxta Chirugos, totus externus Nasi apparatus is considerandus, quem ad organum *Πόλυρρησι* cavitatem internam & præcipuam mali latentis sedem meritò referendum dixeris.

SUE sunt Naso externo speciales partes, quædam verò cum Naribus internis communes: propriæ, tegumenta, muscoli dicuntur; communes, membranæ, vasa, nervi, ossa, Cartilagines.

QUO ad Nares attentius inspiciendas, plurima Chirurgoribus abundo consideranda veniunt. Primum cavitatis multiformis intus amplior quàm foris spectatur interventu septi dispartita; superius à laminâ cribrosa descendens, inferius à vomere efformati, anteriori triangulari cartilagine absoluti.

UTRAQUE cavea interjecta ossi cribroso, cælo palati, ab anterioribus Nari foraminibus transversè retrorsum extensa, terminatur ad summas fauces.

LATERALIS superficies narium augetur recessibus spiralibus ossium turbinatorum, quorum suprema & media pendent ab ossi cribroso, infima & maxima sunt ab his distincta, quæ tamen in ætate firmatâ haud rarè cum vicinis ossibus coalita reperiuntur.

AMPLIOR fit cavitatis Narium sinuum ope, qui satis magni sunt recessus & quasi illarum additamenta: tres numero, frontales scilicet, maxillares & sphenoidales, qui quidem hiant in ampliori binâ capacitatis communi nasalis antri.

PRÆTEREA utrinque adsunt non levioris momenti oscula ducta

tuum lacriminalium ponè turbinatum os inferius. Quod attinet ad viam ut desinentem, indicante Stenone, ex utraque nare recentis capitis versus palatum, inter anatomicos ambigitur.

T O T A superficies quasi laxata Narium, miris modis cavernosarum & compositarum, sicut & sinuum ambitur, tegitur membranâ (quæ vulgò Pituitaria) pulpôsâ, molli, vasculosâ, porosâ, vasorum & nervorum refertissimâ.

VELUM palati, ejus partes, structuram, & quædam vicinia, de quibus nondum mentionem fecimus, ut totum adimpleatur objectum, minimè omitti, contrâ verò diligenter expendi judicatu facile.

D E cætero, Nasum internum non ut organum odoratûs, nec voci & respirationi inservientem ad summum obiter, sed ob materiæ pathologicæ molem, tanquam tristè Polypi Theatrum nobis investigare liceat.

E X C H I R U R G I A.

P R E M I S S A sufficienti explanatione anatomicâ partium morbi quoties Tyrannidem experientium, pro ut illius cognitioni & curationi congruit, necessariò ad Pathologica & Practica deveniendum.

S I Carunculæ in eâ membranâ, quâ internæ nares vestitæ sunt, excrecant, fit Polypus, modò alius circâ os cribrosum, modò demissiùs circâ alia ossicula; & inde à pedunculo pendulus, sic continuò auget, ut tunc instar sacci exterius ex nare pendeat, vel tunc interiùs per posticum Nasi aditum, ut in faucibus conspici possit; & tum tristis sequela, jam pridem obfactûs sensû hebetè reddito, nec non ingrata loquelæ sono, brevi urgebit timor suffocationis.

V I X utilis apud quosdam Autores distinctio, à primo genitu ægretudinis, inter sarcoma Nasi & Polypum; est idem per idem, illud tantum ab hoc duritiæ quâdam & amplo fundo seu latissimâ radice tumoris differt. Color & soliditas Polyporum, cum dolore vel absque sensû, variè in variis.

S I Polypus, quod non rarò, ortus in interiori sinû maxillari,

(a) & se extendendo quasi è claustris eruperit in nares, tùm illud in iis formam amplissimæ cohærentiæ & carcinomatodes habere falsò dijudicabitur. De cætero sequentiùs ob substantiam ossium emollitam, diductam, destructam, undè molles partes extrà limites producuntur, facies dimidia extuberans deturpatur; quod magis ac magis, quæquæ sint sedes Polyporum radicum, si malum in pejus ruit. Præterea lacrimarum Stillicidium serè semper veluti accidens, deformitati jungitur (b).

Ut plurimum inter initia Polypo non nisi unica radix eaque tenuis est, vel crassior magni que venis instructa. (c) Ille interdùm Hydræ similis, cui plurimæ irrepentes è corpore radices caudarum instar sub sunt; interdùm etiam in multiplices ramos veluti enascentia capita prodire nitentia, se dividit.

Numquam Polypus, si solus se offert in utràque nare nisi propulso cum ruinâ lepto; vel forsân nisi faucibus ob viis replicatâ versus anteriora excrecentiæ quâdam extremitate aliena diverticula eluctante.

VITUM procreans malam hanc labem reperies in membranâ pituitariâ obstructâ, conjunctim in ejus glandulis, si adsint, in gurgitatione labefactatis; hæc inde sinfim ex humoribus noxiis augetur crassitie, donec tumor conspicuus prodeundi impatiens, efformetur.

Quæris causas quæ Polypum inducere valeant? Innumeræ. Sunt internæ & externæ; abditæ & manifestæ. Ex pravâ Diathesi à sanguine impuro & pituitoso; vel à quibusdam vitiis gravioribus nempe, venereo, strumoso, cancroso, scorbutico, internæ causæ oriuntur: contusio fractura Narium, hemorrhagiæ, avulsio vibrillarum, catharro & corysa diu perseverante, externas inter causas

(a) Vid. Ruifch. Affert exempla Polyporum in antro Higiori ceu Maxillari, delitescentium. Cent. Obs. Anat. 77.

(b) Vidimus multoties sacchum lacrimalem turgidum, & liquorem puncti lacrimalibus exundantem, ob orificium ductus intrâ Nares, depresso, Massâ tumoris, osse turbinato inferiori: quod ibidem observavit Mag. le Dran. *Observations de Chirurgie.. Tom. 1. Obs. 6.*

(c) Sæpè sæpiùs magni Polypi latè adhærentes plurimis partibus Narium & vicinis, reperti sunt. Conf. M. de Garangeot. *Opérat. de Chirurgie. Tom. 3. Ibid. M. le Dran, Observ. de Chirurg. Tom. 1. Obs. 6 & 7.*

3

recensentur. Abditæ & manifestæ internæ ex præcedentibus pa-
tent.

POLYPUM à Polypo discriminant essentia, compositio, figura, ætas, tempus, soliditas, ac demùm accidentia: hinc Dædaleum opus, innumeræ profiliunt species, quas recensere vix quidem operæ pretium sit. Quinque potissimum liquidò explorandæ observantur, quarum seu Diagnolus, seu Prognosis haud difficili negotio deducenda.

CUJUSCUMQUE modi sint Polypi ipsorum incrementis quàm maxima celeritate occurrendum, quippe qui per vetustatem ingravescentes, seram nimium opem nequicquàm efflagitent.

HAUD dubiè, ab ovo, lenior ad curationem medicamentorum via; tunc in promptu sunt adstringentia & exsiccantia miros fortita effectus. Ubi autem improspere cessura videbuntur, diversam auspicari est medendi normam.

PRO ætate, fitu, volumine, indole Polypi eradicandi variæ methodi admittendæ; Abnuis? Velim ut nequid inconsultò prope-
res.

SI intrà recessus opacos labyrinthi Narium intortè adhæreat Polypus majoris massæ, non adeunda unica Encheiresis; pro variis vel una seorsim seligi, vel plures vicissim institui debent. Præeunte levi attractione speculatoriâ, scalpello, si necesse, facilior reddita ligatura iterum atque iterum, & sectiones ibidem faciendæ; forsitan caustica & escharotica (adhibitis cautelis) admovenda, postea repetitæ extractiones, mediante forcipe idoneo, peragenda. Hæc omnia, pervices, in eadem curatione, ut morbus intricatissimus debelletur, præsentanea se præbent. Quid plurima enumerem?

LIGATURAM Polypi Narium tutiorem curationis viam libentissimè concedimus; sed pace illorum qui hanc ut perpetuam commendant, reponamus: hæc arte non est semper ut curetur ægotans. Si ad quasdam Polyporum species attendatur, in quibus vix sine torturæ angustia admoveretur. Quando admittenda venit ligatura à quâ curatio promptior, eam propter varia media ditissimam pronunciamus. (a)

(a) Consul. varii Scriptores Chirurgici; sed illorum inventiones cum an-

QUANDO celebrandæ ligaturæ major suspicatur difficultas, aut cum diffusa partibus accretio, minoris Polypi, minimè aptam renuit constrictionem, ope caustici ab experientissimis Chiriatris longior, sed tuta curatio, plaudentibus ægris, suscipitur. Felices qui possunt rerum Chemicarum cognoscere vires! Illud tamen medium, ligaturæ quæ in promptu venerit, non anteponi semper juvat: considerationes Chirurgicæ quæ ab internis Causticorum incommodis oriuntur, nostræ sententiæ favent.

CHIRURGUS multiscius ex auxiliis antea felicissimè adhibitis postea tanquam omninò despectis, nulla providè à se aliena putat. Semper quidam casus avulsionem, juvantibus vossellis, opportune expostulabunt.

SI cum perspicacitate anatomicâ Polypi extractio prudenter tenteretur, profluvium sanguinis, aliter pertimescendum, non superveniet: contra, si eventû liquor vitalis manat, facilis fluxus breviter compescerur. *

LAUDANDA sanè veterum Chirurgicis in rebus solertia: absit tamen ut iis assentiamur tumorem candenti ferro per fistulam Naribus inserto, inurendum suadentibus. Crudelem adedè methodum cum Neotericis non improbamus tantùm, sed & noxiam quoque judicamus.

NIHILO MINÙS in casû difficiliori, extracto ferè in totum Polypo, si ossa carie, spinâ ventosâ descædata, saltem ut non amplius serpat malum, aut ut radicitûs extirpetur, aliàs recrudescens, reliquiæ crudelis contaminationis inuri debent ferro ignito convenienter immisso.

SUA non est omnibus Polypis certa curatio. Carcinomatosi, si exquisiti fuerint atque confirmati, meritò immedicabiles ha-

notationibus reperies in Opere mox infra citato. Juxtà plausum, ligaturam non minimi pretii à Mag. Leuret inventam seligi censemus. Vid. Autoris eximium Opus. *Observations sur la Cure radicale de plusieurs Polypes de la Matrice, de la Gorge & du Nez.*

* Mag. Bellocq, ad Sataceum versùs fauces, seu ad sistendam Hemorrhagiam, seu ad Nares post Polypi extractionem detergendas, injiciendum instrumentum acu formè elasticum funiculo armatum feliciter excogitavit, ut frequenti experienciâ comprobatur. Istud inventum non adhuc evulgavit Reg. Chir. Academi. Conf. le Dran, Obs. 7.

7
bentur, quod ingenuè confitemur: non tamen promptè infortu-
nio relinquendus est æger, ad ejus minimam desperationem diffi-
cillima tentanda ferè semper veniunt. Tandem, si nulla opere
peragendo superfit spes, palliativa duntaxat medela congruit:
in eo versatur, ut à Chirurgo debita injungatur victus ratio, ido-
neaque exhibeantur remedia, dolores, sin minùs sublatura, at
certè verò sedatura.

OPERATIONI cuilibet debent ceu antecedere, ceu succe-
dere tenuis diæta, venarum sectiones ac medicamenta morbo com-
petentia.

*Has positiones, DEO JUVANTE, & præside M.
PETRO BASSUEL, Liberalium Artium &
Chirurgiæ Magistro, Regiæ Chirurgorum Academiæ
Consiliario & Commercii extranei Secretario, Thera-
peutices Chirurgicæ Demonstratore Regio, tueri conabi-
tur CLAUDIUS-ANTONIUS CADET, Parisinus, in
almâ Parisiensi Artium Facultate Magister.*

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

*Die 18^a. Augusti, anno Salutis 1752. à sesqui-secundâ
post meridiem ad septimam.*

PRO ACTU PUBLICO
ET SOLEMNI COOPTATIONE.

Typis FR. DELAGUETTE Chir. Collegii Typographi.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

IN REBUS...
P H I S I L I S
IN REBUS...
Dr. A. A. ...
P H O A C T U P U B L I C O
A T C O L L E G I I C O N S T A N T I N O P O L I T A N A

Typis in Delphicis Collegii Constantini